



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

§. 5. De Sacrificio Missæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

356 Pars 3. tract. 4. cap. 4. De Sacram. Euchar.  
aut in Sacramenti contemptum.

7. Probabilius est eum , qui non communi-  
cavit in Paschate , teneri postea supplere. *Suar.*  
*Bonac. Con. Lugo.* Non tenetur tamen præveni-  
re , qui prævidet se tempore Paschali impedi-  
dum , ut probabiliter docet *Suar. Azor. Gre.*

8. Tenetur quis Communionem Paschalem  
sumere in Parochia à Pastore suo , nisi hujus li-  
centiâ , privilegio , aut consuetudine eximatur.  
*Navar.* & *Suar.* hic D. 72. Sect. 2.

9. Sacerdos ubivis celebrando satisfacit præ-  
cepto communionis paschalis , *Bonac.* D. 4. q. 7.  
p. 2.

10. Eximuntur peregrini & vagi qui paro-  
chiam non habent , aut ab ea absunt.

11. Privilegium , quod aliqui allegant pro  
Communione Paschali datum Mendicantibus ,  
alii communius negant apud *Dianam* p. 2. t. 14.  
r. 73. neque consultum videtur cum Pastorum  
proprium est illo præfertim tempore pecoris sui  
vultum cognoscere , neque in ordine ad satisfa-  
ciendum præcepto consistit cum responso Con-  
greg. Cardinalium die 31. Januarii 1682.

Praxim disponendi ægrum , aut moribundum  
ad viaticum devotè suspiciendum vide infra in  
fine hujus operis. tom. 3.

#### §. 5. De Sacrificio Missæ.

**C**hristum in ultima Cæna non tantum Eu-  
charistiae Sacramentum instituisse , sed etiam  
Sacrificium Missæ ordinasse per Sacerdotes in  
Ecclesia perpetuò offerendum probatum est su-  
pra in Controv. p. 1. tr. 2. cap. 5. Hic resolu-  
tiones ad praxim spectantes breviter trademus.  
1. Te

1. Tenetur quivis Sacerdos legitimè non impeditus saltē bis tervē in festis solemnioribus per annum celebrare, ut docet *Suar.* cum communi contra *Lugo*, *Tamb.* *Dianam*. Imò ubi receptum est Tridentinum, inquit *Busen*, graviter obligantur mandante Episcopo celebrare singulis Dominicis & Festis.

Non posse tamen Episcopos Laicis præcipere, ut diebus Dominicis aut Festis Sacrum, aut concionem in sua Parochia audiant, ubi possunt id alibi præstare; docet ex declaratione Clementis VIII. anno 1592. die 2 Decemb. Diana p. 10. tr. 12. Ref. 25. de quo fuisus supra p. 2. q. 23.

2. Sacerdos, qui habet Facultatem bis de die celebrandi, v. g. ob duplicem Parochiam, poterit hoc facere diebus feriatis, si valdè frequens sit populus, ut in concursu peregrinantium. *Suar.* & 8. alii. In prima tamen Missa non potest sumere ablutionem, ut maneat jejunus. Potest autem necessitas permittere ut etiam saepius à jejuno celebretur. *Suar.* *Dian.* p. 10. tr. 16.

3. Displacere dicta est haec doctrina cuidam Prælato, quem ego plurimum veneror. Et in illius gratiam adduco insuper pro hac resolutio ne Thomam Hurtadum in Resol. moral. tract. 2. cap. 7. num. 430. Quia, inquit, in cap. *Consulenti*, & cap. *sufficit*. Pontifices Alex. & Innoc. III. concedunt Privilegium, & declarant, *ex iusta causa*, & *sudente necessitate* Sacerdotem posse celebrare plusquam semel de die: ergo, inquit, cum hoc privilegium non concedatur cum limitatione, aut uni Sacerdoti in particuliari, sed in communi, manet in suo vigore quando causa est legitima, & urget necessitas, ut si ob angustias loci die solemnī magna populi multitudo non possit nisi ad unum angustum

358 Pars 3. tract. 4. cap. 4. De Sacram Euchar.  
stum locum successivè convenire. Et huic sententiæ novissimè subscriptibit etiam Leander de Sa-  
cramentis part. 2. tract. 8. de sacrif. Missæ disp. 6.  
quæst. 41. quam judicat esse longè probabili-  
rem, & pro ea insuper citat Card. Lugo, P.  
Hurtado, Petrum de Ledesma, Marcum de los  
Huertos, Naldum, & Philiarchum. Quia, in-  
quit, in jure non determinatur pluralitas Missa-  
rum: nec in textu citato est sermo de dupli-  
citate triplici, aut multiplici Missa celebranda, ut  
advertisit Cardinalis Lugo num. 41. ita ille. Cui  
ego addo, hæc locum habere, ubi non obstat  
Superioris prohibitio, aut consuetudo contra-  
ria, de qua spectat ad Prælatum in sua dioœcesi  
judicare.

3. Sacerdos ob infirmam valetudinem non  
potest celebrare operto capite etiam extra Ca-  
nonem sine licentia Pontificis. Id enim expresse  
statuit Urbanus VIII. & pridem declaravit S.  
Congr. Rituum 13. Julii 1626. apud Gavantum.  
Ubi verò ad Pontificem non datur recursus dis-  
pensare potest Episcopus, aut Prælatus pro suis  
Regularibus, Henric. aliisque. Et in Polonia eam  
licentiam pro tempore hyemali consuetudo ob-  
tinuit. Qui autem id faceret absque dispensa-  
tione in gravi necessitate celebrandi, secluso  
scandalo & contemptu, non peccaret docet L.  
desma. Diana &c.

4. In casu necessitatis licitum est celebrare  
cum stola, manipulo, aut cingulo non bene-  
dictis, aut etiam sine aliquo ex iis. Suarez &  
alii. Imò etsi aliquis citra necessitatem sine ali-  
quo horum celebraret, non peccaret mortali-  
ter, ob levitatem materiae, Suarez, Henrig. cum  
6. aliis.

5. In gravi necessitate sine Ministro licet ce-  
lebrare

Pars 3. tract. 4. cap 4. De Sacrificio Missæ. 359  
lebrare, v. g. ad dandum viaticum infirmo.  
Lessius & 7. vel ne populus aut ipse Sacerdos  
Missâ careat die festo Prep. &c. Non licet ta-  
men in casu fæminam ad ministrandum admit-  
tere: nisi fortè, ut ex loco remoto respondeat,  
sed non ut accedat ad altare urceolos ministran-  
do, qui possunt in cornu altaris collocari. Lh-  
g°, & 3. alii.

6. Non est mortale, si in Missa defunctorum  
omittantur sequentia. Dies iræ &c. Bordonus &  
alii. Imo in anniversario, & Missis quotidiana-  
nis defunctorum legitur id tantum pro arbitrio  
Sacerdotis.

Sacerdos Regularis, si in Canone pro nomi-  
ne Episcopi ponat nomen sui Generalis, peccat  
mortaliter, quia Missale est ad unguem obser-  
vandum, ex Declarat. Cardinalium.

7. Sacerdos non potest hostiam à se conse-  
cratam deponere in sacrarium, & sumere ali-  
quam ex hostiis anteà consecratis: quia ad inte-  
gritatem Sacrificii spectat sumptio hostiæ tunc  
consecratæ, Lugo & 5. Poffet tamen ex justa  
causa celebrare cum hostia minori, qualis fo-  
let dari Laicis, quando non posset haberi ma-  
jor, Marchant. Diana.

Querit hic Bosco disp. 4. Seit. 12. concl. 9. An  
Sacerdos Laico communicare volenti possit ex  
causa præbere partem hostiæ quâ ipse celebrat?  
Et rectè respondet affirmativè, quia id non  
obest integratî Sacrificii, nec peculiarem in-  
voluit indecentiam: docetque sufficientem cau-  
sam esse magnam petentis devotionem, aut mo-  
ram expectationis donec in Sacro sequenti mi-  
nor hostia consecretur, si prudenti judicio mo-  
ra censeatur incommoda, idemque resolvit Di-  
catallo d. II. num. 117.

Qua-

Quæres porrò : An Sacerdos possit ex suo Calice communem ablutionem dare Laico communicanti ?

Respondeo , et si id per se non sit illicitum occurrente ratione peculiari , v. g. personæ valde honoratæ , non licet tamen illum morem frequenter usurpare : quia induceret in populo rudiori suspicionem Communionis Laico datae sub utraque specie , quam Ecclesiæ consuetudo non permittit.

8. Altare pro Sacrificio insterni debet mappâ triplici : non requiri ut mappæ sint benedictæ docet Suar. cum pluribus.

Si quis mappam unam adhiberet præter corporale , non esset mortale : sicut esset , si nullam poneret. In necessitate autem celebrandi v. g. die festo , &c. nullum erit peccatum , si una sit cum corporali. Leand. & 3. Sicut etiam posse tunc adhiberi mappam non benedictam , v. g. sudarium , si mundum est , & postea rursum applicare ad usus consuetos docet Fagund. & 11. alii.

9. Sine lumine sacrificare nunquam licet , adeò ut si extingueretur ante Consecrationem , nec aliud haberi posset , pergere Sacerdoti non esset moriturus , Fagund. Lugo &c.

10. Ut viaticum moribundo detur , licet etiam à mediâ nocte Sacrum facere. Lugo & alii 7. vel etiam horâ tertîâ post meridiem , Hurtado & Leand. Neque ad hæc opus est licentia Episcopi , Præposit. aliquæ. Imò hæc Regularibus permittuntur per Privilegium Eugenii IV. saltem ex justa causa , v. g. itineris faciendi , Castillo , & alii apud Tambur. & Lugo hic sed. 1. num. 41. De lege autem communi licitum est cuivis

Pars 3. tract. 4. cap 4. De Sacrificio Missæ. 361  
euvitis Sacerdoti inchoare Sacrum duabus horis  
ante ortum Solis: & mediâ horâ post meridiem,  
Laym. Aut etiam integrâ horâ, si v. g. concur-  
sus populi, Principis viri expectatio, aut ne-  
cessarium iter Sacerdotis id requirat.

Ad quem autem Missionarius, aut Parochus,  
qui Privilegium non habet, possit recurrere pro  
dispensatione quoad horam, locum, aut facul-  
tatem celebrandi sæpius de die, aut coram ex  
communicatis, deferendi Eucharistiam sine lu-  
mine, videre est suprà in part. 2. cap. 5. §. 1. de  
facult. missionum.

Quæres primò: An Sacerdos teneatur sumere  
Calicem consecratum si in eum incidat araneus,  
aut aliud venenatum; & quid eo casu agere  
debeat?

Respondeo, Sumendum non esse: sed specie-  
bus in alio loco decenter repositis, aliud vinum  
cum aqua Calici infundendum, quod statim  
consecrari, & in eodem Sacrificio sumi debet.  
Species autem vini infectæ servari possunt do-  
nec exhalentur, aut corrumpantur, & residuum  
in piscinam mittatur. Vel certè, quod commo-  
dius est, efficiatur ut intincto panno lineo im-  
bibantur, quo siccato, & posteà combusto ci-  
neres piscinæ committantur, ita *Leffius de Sa-*  
*crami, quest. 83. art. 2. num. 70.*

Quæres secundò, An licitum sit Sacerdoti, si  
sciat hæreticum adesse, Missæ Sacrificium in-  
choare, aut inchoatum perficere?

Respondeo affirmativè, secluso scandalo alio-  
ve abusu, uti contra Ponium docet Card. Lugo,  
qui refert se vidisse ita fieri pluribus Cardina-  
lium assistentibus, & scientibus simul hæreticos  
interesse.

Tom. II.

Q

§. 6. De